



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 5. De Archipelago.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

## §. 4. De Sinu Satalico.

SATALICVS Sinus, seu ATTALICVS, Maris partem continet quæ infra Cretam, Syriam vsque & Ægyptum expanditur. Nomen habet ab vrbe celebri in Natolia *Satalia*, olim Attalia. Coticus in Itinere Hierosolymitano, hunc Sinum atque Venetum vno nomine constringere videtur: & obseruant aliqui hunc maris tractum tempestatibus atrocissimis aliàs fuisse obnoxium; sed deferbuisse huius tumores, & furias, ex quo in istud Mare clauum Christi proiecit S. Helena mater Constantini, cùm ex Palæstinâ, Cruce inuentâ, rediret.

Subdiuiditur autem in varias oras: nam secundùm Natoliam commune nomen retinet oræ *Satalica*. Supra Cyprum in intimo recessu *Golpho de Larazzo* olim Issicus. Exinde procedit ora *Syria* dicta, & *Damiatam* vsque porrigitur: deinceps ora *Ægyptia*, & *Barbarica* nuncupatur.

## §. 5. De Archipelago.

ARCHIPELAGVS olim Ægeum mare incipit ab insulis *Cytherâ*, & *Cretâ*, *Cerigo* & *Candie*; aliqui extendunt tantùm ad Pro. Iannissarorum, *le Cap des Iannissaires*, alij meliùs Constantinopolim vsque promouent, aut vbi incipit Bosphorus Thracius, *le Canal de la Mer Noire*: quia exinde inchoantur maria, quæ Ottomanis *Alba* nominant, *les Mers Blanches*. Dicitur autem hoc Mare *Archipelagus*, cùm extincto magnâ ex parte Occidentali Imperio, maiestas Imperij tantùm in Græcia, & Asiâ Minore vtcumque vigeret; itaque *Mare Imperij* nominabatur.

Hoc porrò mare in præsentia vnius tantùm nominis est: & quæ voces irrepserunt in Græciæ recentis Tabulam, à quibusdam sciolis præcusa sunt. Hi cùm viderent Icariam insulam dici hodie *Nicariam* ei supposuerunt *Mare di Nicaria*: sic etiam ineptiùs induxerunt *Mare di Mandria*, pro Myrtoo, quoniam inf. *Mandriam* absurdè Myrtoom Plinij credidere.

De *Freto Gallipoli*, seu *Brachio S. Georgij* olim Helleponto, *Mari de Marmora* olim Propontide, Alueo Maris Maioris, *le Canal de la Mer Noire* olim Bosphoro Thracio, aliàs in Græcia differetur.